In Dei Filio sibi dilectis RR. Adm. PP. Provincialibus, Magistris, Prioribus, Rectoribus, Vicariis, Præsidentibus, necnon Religiosis omnibus Ordinis Prædicatorum Provinciarum Hispaniæ, atque Indiarum.

NOS FR. JOACHIMUS BRIZ,

Sacræ Theologiæ Professor et Doctor, humilis ejusdem Ordinis Magister Generalis et servus, Hispaniarum Primæ Classis Optimas &c. Salutem.

Nuper per organum Excmi. ac Rmi. D. D. Francisci Tiberi in Hispaniarum Regnis Nuntii Apostolici, die scilicet XXVIII. Januarii, et VIII. Februarii anni currentis, à Ssmo. Dño. Nostro Gregorio Papa XVI. fuit Nobis ordinatum, ut litteras Capituli Generalis convocatorias, Romæ celebrandi in pervigilio Pentecostes proximè venturo in Conventu Stæ. Mariæ supra Minervam, nedum ad electores extra Hispaniam existentes, ad quos de jure, quantocius transmitteremus pro Magistro Generali, ad sexennium, juxta alternativam in Piana Apostolica Constitutione *Inter graviores* stabilitam, eligendo; sed etiam ad electores in Hispania commorantes pro Capitulo etiam Generali in Conventu, Nobis in Peninsula bene viso, juxta eamdem alternativam celebrando, atque Vicario Generali sexennali in eodem pariter eligendo.

Oraculo igitur Ssmi. Dñi. Nostri ex animo humiliter obsequentes, facultatem concessimus Rmo. P. Magistro Fr. Francisco Ferdinando Jabalot Pro-Vicario ac Procuratori Generali Ordinis extra Hispaniam existentis die XIX. Februarii anni currentis, ut litteras circulares Capituli Generalis convocatorias, nomine nostro, ad electores prædictos quantocius transmitteret pro ipsomet in pervigilio proximo Pentecostes, juxta laudatam Ordinationem Pontificiam Romæ celebrando in relato Sanctæ Mariæ supra Minervam Conventu, ac Generali Magistro ad sexennium, juxta memoratam alternativam, ibidem eligendo: exceptis vocalibus in Hispaniarum ac Indiarum Regnis existentibus, qui tam jure legum Ordinis, quam Pontificio, vocem in Capitulo habere debent, á quibus omnibus pro tunc vocandis supersedendum duximus, quousque Declarationes super dubiis circa laudatam Apostolicam Pianam Constitutionem Ssmo. Dño. Nostro Gregorio Papæ XVI. à pientissimo Rege Catholico oblatis, notæ Nobis fierent, earumque observantia esset in præcepto. Designavimus tamen, juxta memoratam semel et iterum Nobis indultam Pontificiam facultatem, Regalem nostrum Cæsaraugustanum Conventum pro Capitulo Generali suo tempore ibidem celebrando, atque Vicario Generali, juxta præfatam alternativam, in eodem eligendo.

Dum itaque supranominatas Declarationes præstolamur, designationem prædictam Vobis notam facere constituimus, ut, Nobis suo tempore à Generalatus munere cessantibus, Priorem Provincialem Provinciæ Aragoniæ duplici jure, legum scilicet Ordinis, ac Declarationis Nostræ Apostolica auctoritate factæ, atque circularibus nostris litteris die XV. Februarii anni currentis Vobis indictæ, vices Magistri Ordinis, seu Vicarii Generalis obtenturum, quousque Vicarius Generalis ritè sit electus, agnoscatis, recipiatis, eique in omnibus et per omnia, juxta leges Ordinis, debitam obedientiam præstare satagatis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque &c. In quorum fidem &c. Dat. in Regali nostro Prædicatorum Cæsaraugustano Cœnobio die VII. mensis Martii, D. Thomæ Aquinati Sacro, anni millesimi octingentesimi trigesimi secundi.

Fr. Joachimus Briz,
Magister Ordinis.

Reg. pag. 71.

Fr. Vincentius Sopena,
Magister Procurator Generalis Ordinis,
Provincialis Terræ Stæ. et Socius.